



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XVIII. Monet semper ad Deum pro auxilio recurrere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

in illo numero felicissimo comprehendere: si enim legitime certetis (ut verè cum gratia mea valetis) inter ipsa prælia latari, & firmissimæ spei motibus exultare potestis, aspirantes ad palmam, cuius suauissimis fructibus, mecum in cœna magna, sine fine fruemini.

CAP. XVIII.

*Monet semper ad Deum pro auxilio recurrere.*

**F**ILII nullus status, nullus locus, in vita mortali est adeò securus, ut ad me in horas singulas, pro auxilio gratiæ meæ recurrere non debeatis. Nam qualis status securior, quàm Apostolatus? & tamen cum ego duodecim elegerem, vnus ex eis diabolus effectus est. Qualis locus tutior, quàm paradysus, in quo posui hominem quem formaueram? & tamen Heua mater vestra respondit: serpens decepit me. Militia, sine induciis est vita hominis super terram: in qua & pusilli, & magni in multos errores, & peccata labuntur.

Propter

Propter quod caute filij, ne sitis fidentes in vobis ipsis, quasi in summo periculo non versemini. Vapor est vita vestra, ad modicum apparens, & vento quolibet exterminatur, & anima corpore fragilissimo inclusa, sit sibi metipsum grauis; timereque debet instantem ruinam, ad quam sua fragilitas illam impellit. Orate ne intretis in temptationem, & cum hoc mundo damnemini. Multi sunt inter vos infirmi, & imbecilles, & saepe dormiunt multi serui mei, euigilate, & stete succincti lumbos mentis vestrae, ne forte inopinata morte moriamini. Quærite me sollicite: venite, & reuertimini, die nocteque pulsate: aduersarius enim vester, sine requie circuit, quærens quem audissimè deuoret. Facite vobis speculam, & insidias hostium vestrorum explorantes, intimis gemitibus, brachium meum implorate. Oculi quippe mei erunt aperti, & aures meae erectae, ad orationem eius, qui in tribulatione sua fortiter clamauerit ad me. Qui cecidit, clamet, & resurgat qui stat, videat ne, cadat, & misericordem animam

animam meam vespere, & mane, & meridie, pulsare non cesset. Ego nomine dulcissimo vocor, Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Si ergo mala patimini, vel angustiimini; cor meum ciò pulsate, vt ex officio suo, in vestrum adiutorium intendat; & ad vos adiuuandos, hinnulorum more festinet. Recurrite ad me, & curram ego, vt vos eripiam à pressura vestra. Credite, vos non esse sufficientes, non solum mala vincere, sed ne cogitare aliquid piũ ex vobis, quasi ex vobis, & spem vestram omnem in visceribus misericordiæ meæ collocate: Et fidelissimo adiutorio vobis præsto ero, & de manu odiætium liberabo. Si corde puro requisieritis me, ego capillos capitis vestri numerabo, ne vnus pereat: si transferitis per ignem, flamma nõ lædet vestimenta vestra, & odor ignis non erit in vobis. Desiderium pauperum, inopiæ suæ cognitione clamantium exaudiam: & præparationem cordis eorum audiet propensissima ad preces humilium, auris mea.

CAP.